

Haec prohibitio pertinet ad solas Missas manuales. Licet igitur administratoribus ecclesiae expensas celebrationis detrahere a stipendio illorum qui in ea celebrant ex obligatione capellaniae vel fundationis perpetuae; a reliquis autem sacerdotibus solutionem harum expensarum exigere possunt, tamquam condicionem ut in ecclesia celebrare permittantur. (S. C. C. 6 Jul. 1726; Bened. XIV, Inst. 56. n. 13)

Sacerdos operam navans colligendis Missis, quae ipsi committuntur non ut ab ipso celebrentur, sed ut ad alios transmittantur, probabiliter potest moderatam mercedem pro ratione sui laboris retinere, modo reapse insumat laborem qui tali mercede sit dignus: hoc enim congruum est naturali aequitati et dantum voluntati. (S. Alph. n. 322) Non licet sacra colligere eaque aliis litanda tradere in aliis regionibus ita ut colligens sibi retineat faenus quod ex aeris permutatione provenit. (S. C. C. 21 Nov. 1898)

**X.** Graviter peccant bibliopolae vel mercatores qui, adhibitis publicis incitamentis et praemiis vel alio quocumque modo, **Missarum eleemosynas colligunt** et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt. Frustra autem haec praxis excusaretur praetextu opis ferendae sacerdotibus qui Missarum eleemosynis careant, vel impendendi operibus piis luci quo e permutatione eleemosynarum cum mercibus proveniat. Illicitum quoque est huic praxi cooperari conferendo hujusmodi collectoribus eleemosynas Missarum a fidelibus vel locis piis acceptas, vel ab iisdem collectoribus recipiendo libros aliasve merces pro Missis celebrandis. (Decr. S. C. C. 9 Sept. 1874, jussu Pii IX ad omnes episcopos transmissum; Coll. P. F. n. 890)

Ratio hujus prohibitionis duplex: prior, ut ab eleemosynis Missarum removeatur quidquid turpe mercimonium sapiat; posterior, ne laedatur voluntas stipendia offerentium: quod facile contingit, si multae eleemosynae coacervantur et Missae celebrandae committuntur multis sacerdotibus, puta iis qui diario alicui nomen dederint. Si utrumque incommodum abesset, nihil illiciti in hac praxi reperiretur. (Lehmk. II. n. 205; Ball. P. n. 260) Hinc:

1º Licet pro Missis celebratis recipere, stipendii loco, libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie. (Decr. cit. ad 6) Unde nihil mali in eo est quod ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus Missarum stipendia traduntur, eas celebrandas offerant sacerdotibus quibus, stipendii loco, bonos libros vel ephemerides religiosas tradant. (S. C. C. 24 Apr. 1875; Coll. P. F. n. 892)

2º Licet moderatoribus diariorum religiosorum, Missas celebrandas sacerdotibus committere, retento ex earum eleemosynis pretio diariis

ipsis respondentे, "dummodo nihil detrahatur fundatorum vel oblato- rum voluntati circa stipendi quantitatē, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacumque collectione Missarum, et docto, cui de jure, de secuta Missarum celebrationē." (S. C. C. resp. cit. ad 3) (1)

**233 XI.** Praeter principalem obligationem celebrandi ad intentionem dantis, quandoque e stipendio oriuntur **obligationes secundariae**, quoad qualitatem Missae, et locum vel tempus eam celebrandi. Regulariter istae leves sunt, et satisfit si alia Missa alio loco vel tempore celebratur. Nihilominus potest aliqua circumstantia fieri substantialis e voluntate expressa eleemosynam dantis: quo casu, non satisfit nisi Missa hoc modo celebrata; quandoque, etiamsi circumstantia non est substantialis, obligabit sub gravi, nempe si, ex ejus omissione, eum qui stipendum dedit graviter offendit iri praevideatur. In specie nota:

1º Per se potest celebrari pro defuncto Missa de Sancto sicut pro vivo celebrari potest Missa de Requiem. Etenim qui stipendum dat pro certa intentione, per se nihil aliud postulat quam fructus specialis applicationem: haec autem tota fieri potest, etiamsi in specialibus Missae orationibus aliud petatur. Attamen ex his orationibus augetur vis impre- trationis seu pro vivis seu pro defunctis, ac proinde congruentius aptatur ritus Missae intentioni propositae.

2º Si petitur Missa in honorem alicujus Sancti vel pro defuncto, viden- dum est quaenam sit intentio petentis: utrum reapse voluerit Missam votivam de tali Sancto vel de Requiem celebrari, an tantummodo inten- derit Sacrum quodlibet dici in illius Sancti honorem vel pro defuncti

(1) Haec pars responsi non refertur in Coll. P. F. sed apud Act. S. S. t. 8. p. 659. Ultima ejus verba: *docto, cui de jure, etc.*, referuntur ad obligationem quam Innoc. XII (Const. Nuper, n. 27) induxit ut rectores singularum ecclesiarum, tum saecularium, tum regularium, in sacario duos libros retineant: in quorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero Missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum, et eleemosynas diligenter adno- tent. Horum librorum ope, singulis annis de receptis et impletis Missarum stipendiis rationem Superioribus suis reddere debent, saeculares Ordinario, Regulares Praelato Provinciali vel Generali. Insuper sacerdotes qui stipendia a fidelibus data aliis sacerdotibus transmittant, tenentur ea committere iis de quorum cura in adimplendo onere nullum dubium sit. Tandem, juxta plures (Gasp. n. 582), tenentur exigere documentum secutae celebrationis, nisi sacerdos cui Missae committuntur, sit omni exceptione major, ex. gr. episcopus: quia sacerdotes tenentur sequi normas a S. C. C. episcopis prescriptas. Attamen, cum nullo documento haec obligatio sacerdotibus prescribatur, censemus in hac re licite servari locorum consuetudines, dummodo alia ratione in tuto collocetur Missarum celebratio et documentum hujusmodi exigatur quotienscumque securitas plena e qualitatibus eorum quibus Sacra committuntur, non habeatur. De poe- nis quas incurvant illicite colligentes Missarum stipendia, cfr. nn. 602, 608, 620

requie. Posterius praesumere licet, saltem in regionibus nostris, praesertim de Missa in honorem alicujus Sancti: siquidem quid sint Missae votivae, plerosque latet. Tunc autem satisfiet, etiamsi ritu semiduplici Missa de die celebratur. Si prior intentio ex adjunctis constaret, celebranda esset Missa petita, vel petens de impedimento monendum esset. (Lehmk. II. n. 200; Ball. P. n. 267)

3º Mutationes quae fiunt in loco, die et hora celebrationis, singillatim sumptae, non excedunt culpam veniale vel, si adest causa rationabilis, plane licitae evadunt. Graviter tamen peccaret qui Missam ex fundatione celebrare deberet, et celebraret in alia ecclesia, hora, altari quam a fundatore constitutum sit, modo id faceret saepius, sine causa aut dispensatione, et modo fundator determinationem violatam statuisset ob gravem causam adhuc perdurantem, puta ob commodum familiae vel populi, ob specialem cultum alicujus Sancti, etc. Ideo peccabit venialiter tantum qui has mutationes facit semel vel bis in mense; nullatenus, qui justam habet causam, ex. gr. si egressus e sacrificia videt altare ab alio occupatum. (Lugo, disp. 21. n. 36 seqq.; S. Alph. n. 329) Dispensationes in his fundatorum dispositionibus ad tempus, ob justam causam, concedi possunt ab episcopo; in perpetuum, a sola Sede Ap., ut constat e duabus decisionibus S. C. C. citatis apud Ferraris. (Bibl. Can. v. Capellanea, n. 14)

4º Sacerdos qui, ex intentione fundatoris vel stipendium dantis, Missam celebrare debet ad altare privilegiatum, non satisfecit huic obligationi si, Missa ad aliud altare celebrata, lucratus est indulgentiam pleniarum pro defuneto cui Missam applicavit (nisi gaudeat privilegio personali altaris privilegiati): nam aliam indulgentiam non tam certo lucratur. (S. C. Indulg. 2 Maii 1852) Idem tenetur, quotienscumque per rubricas licet, celebrare Missam defunctorum: haec enim est condicio sine qua indulgentiam altaris privilegiati lucrari nequit, seu reale, seu personale privilegium illud sit. (S. C. R. 22 Jul. 1848; Coll. S. R. n. 2962) Excipitur casus quo aliam Missam legeret sacerdos ratione expositionis SS. Sacramenti, stationis ecclesiae vel alias sollemnitatis. (S. C. Indulg. 11 Apr. 1864) Attamen, si bona fide admisit errorem, quo impeditus est quominus indulgentiam altaris privilegiati lucraretur, ex. gr. celebrando Missam de Sancto pro Missa de Requiem, non tenetur ad restituendam eleemosynam, sed supplere debet lucrando aliam indulgentiam pleniarum pro defuneto cui Missam applicavit. (S. C. Ind. 22 Febr. 1847) Ita jam S. Alph. (I. 6. n. 329), cuius opinio non est relinquenda ob alia decreta S. C. Ind. specie tenuis contraria, ut exponitur in opere authentico P. Beringer, De Indulgentiis. (t. I. 469 seqq.)

**234. XII.** Si quis compererit se in Missis pro stipendio celebrandis bona fide adhibuisse unam tantum materiam validam, puta ob vinum plane

sophisticatum, probabile est eum in rigore non teneri ad Missas iterandas vel ad compensationem a S. Sede implorandam. Alii alias rationes afferunt. (Gury, Casus, II. n. 254; Berardi, Prax. Conf. n. 3529) Potior videtur quam afferit Ball. P. (n. 230): cum stipendium detur ad sustentationem sacerdotis, praesumi posse eum qui illud dedit, nihil amplius exigere quam nt sacerdos certum numerum Missarum celebret, abhilita diligentia ordinaria ut omnia valide peragantur. Suadendum tamen ut si paucae Missae sic dictae sint, repetantur; si multae, petatur compensatio a S. Sede. (n. 229) Immo, in quibusdam casibus, caritas id exigere videtur, quatenus absque magno incommodo fieri potest, nempe si timendum esset ne anima nuper defuncta praecipuis subsidiis propter hunc involuntarium defectum careret.

### XIII. Licet stipendium accipere :

1º In die omnium fidelium defunctorum: neque enim omnibus defunctis applicandus est fructus specialis. (S. C. R. 4 Aug. 1663; Coll. S. R. n. 1275)

2º Ad applicandum fructum medium cuilibet, quando celebratur Missa pro sponsis, a quibus stipendium receptum non fuerit (S. Inqu. 1 Sept. 1841; Coll. P. F. n. 882) vel Missa exsequialis, non dato stipendio ad celebrandum pro defuncto. (S. C. C. 27 Apr. 1895; N. R. Th. t. 26. p. 356)

Quamvis neomystae Sacrum quod cum episcopo celebrant cuivis applicare valeant, non videntur tamen pro illo accipere posse stipendium, nisi stipendium datus in id consenserit: secus enim hic censendus est petuisse Sacrum cum omnibus ordinariis caeremoniis peragendum. (La Croix, l. 6. p. 2. n. 2323; Bened. XIV, de Sacrif. M. l. 3. c. 16. n. 10)

**XIV.** Non licet applicare Missam pro primo qui stipendium daturus est: id enim prohibuit Paulus V 15 Nov. 1605. Reapse talis praxis viam sternit pluribusabus et etiam invalidae applicationi, saltem quando is pro quo offertur, nondum actu indiget fructibus sacrificii, ut puta si stipendium daturus postulet Missam pro sanatione morbi qui, dum celebratur, nondum exstet, pro refrigerio defuncti qui, dum celebratur, adhuc vivat, etc. Effectus enim Missae in futurum suspensus manere nequit. (n. 219, II) Probabiliter tamen licet Sacrum applicare nuper defuncto pro quo praevideatur Missas postulatum iri, et deinde stipendium recipere: ita enim applicatur personae determinatae actu jam indigenti. (S. Alph. n. 337)

Qui tenetur Missas applicare animae alicujus post ejus mortem, non satisfacit si eas, ex errore etiam invincibili, applicat antequam obierit: non enim obtinetur effectus intentus.